

957

P A T R I S T I C I

958

Codex:

*Larga sed indignis.
Huic obiectioni tue.
Videbantur cui scriberet.
Ut a doctioribus solum.
Nec parum dedit iudicii.*

Praeterea tota περιοχη: *Volo enim completo* — in capite praepo-
ni. in Editis interjecta est inter ver-
ba: *simul agnoscerent*, et: *te non
ob aliam &c.* quam rectius cum
Codice inde exemptam post verba:
facilius apprehendant, collocabi-
mus.

CCCCXIV.

U. 620 Codex membraneus lat. Sec.
X. Folior. nunc 109. f. max. mag-
nifice exaratus, Schematibus pi-
cturatis et minio illustris, quondam
Monasterii antiquissimi *Brzewn-
viensis O. S. B. in Bohemia*, unde
J. Alex. Brassicanus; ut solebat,

Rex Regum Dominus Mundum Dicione Gubernans &c.

Declarationis: *O Christe Salvator
Rex Regum &c.* Integerrimus pri-
mum Codex amputatam sibi im-
proba forfice Figuram IV. et XV.
dolet, ut videre est ad *fol. 18. et
44.* Lectionem non usque quaque
laudem, licet sint quaedam, quae
editionem *Colon. Opp. omn. 1626.*
T. I. emendent. Ita L. II. c. 27.
*p. 348. pro: et nova omnia perfici-
as, rectius Noster: et nova om-
nia pacificas.*

Editio:

*Larga sed indignis.
Hujus obiectioni tuae.
Videbatur scriberet.
Ut a doctoribus solum.
Nec parum dedit iudicii.*

elicuit, a quo ad *Job. Fabrum*
Praefulem nostrum devolutus est,
complectitur *Magentii Rabani*
Mauri laboriosissimum Opus II.
Libris constans de *Laudibus S.
Crucis*, quale *Vol. I. P. 1. col.*
1024. dedi. Absunt in Exemplo
praesenti *Παρεργα* illa Poetica ibi
indicata, statimque fit initium a Fi-
gura *Ludovici Imp.* quam ejus *Ex-
positio*, et tum *Prologus* excipit.
Nescio tamen, qui factum, ut
haec omnia praecedat Figura O-
peris *nona* cum sua Declaratione,
quae tamen iterum ordine suo *fol.*
29. rite recurrit. Initium Versuum
Figurae I.

CCCCXV.

Codex chartaceus lat. Sec. XIV. U. 533
Folior. 146. 4. per duas angustas
columnas scriptus et rubricis di-
stinctus Sequentia complectitur: I.
Incipit liber de libero arbitrio, seu,
ut in calce explicatur, *Anselmi*
Cantuar. Archiep. de concordia
*Prescientie Predestinacionis et gra-
cie dei cum libero arbitrio.* Ita
nempe: *De tribus illis questioni-
bus in quibus dei prescientie &c.*
Ut in edit. *Paris. 1721. p. 123.*
f.

f. sed Editio haec e Codice perfici posse videtur. Nam mox in ingressu *aperire tentabo* magis *Anselmi* modestiam refert, quam *aperire curabo*; dein statim inter *praescientia Dei liberum arbitrium* ponendum *et*; atque paullo post legendum: *impossibile est, simul esse Praescientiam Dei, quae omnia praevidet, et aliqua fieri per libertatem arbitrii &c.* Textus noster nulla Capitum divisione integer decurrit.

II. fol. 13. p. 2. sequitur *Augustinus ad matrem*. Initium: *Tue non immemor petitionis o carissima mater &c.* Vide, quae de spurio hoc foetu, jam *Adelbero*, jam *Beda* inscripto dixi *Vol. I. P. 1. col. 797.* et *P. 2. col. 2115.* item hoc jam *Vol. Hic Bohemum* Librarium habuit, qui fol. 19. p. 2. minio adjecit: *Ihesu christe pomoz naz,* id est, adjuva nos.

III. fol. 22. p. 2. Incipit alter *Traëtatus de Suffragijs mortuorum ualde bonus*. Articulis X. exponitur, qui, per quos, ubi, quibus Suffragiorum generibus expurgari possint. Omnes piis fabellis scatent. Initium est: *Commemoracio omnium fidelium defunctorum semel in anno est fieri instituta in ecclesia &c.* autorque dicitur *Petrus Damyanus*. Finis: *et ipsum de medio abstulerunt et sic finitur traëtatus pulcer.* Scriptus dicitur *feria sexta in festo sancti Mauricii.*

IV. fol. 26. ut e calce petendum, *Liber beati anselmi de Mensuratione crucis*. Init: *Quoniam iubente filio tuo cristo: Perfecti esto-*

te &c. Extat quidem in edit. cit. p. 494. sed editor *Gerberonius* in *Censura* praevia negat esse *Anselmi*, quia in nullis *Mss.* reperitur, quia c. 5. *Bernardum* citat, quia c. 1. formulam *ex condigno* adhibet Seculo primum XIII. natam. Respondeo, Exemplar praefens Caesareum certe esse *msptum*; in eo non citari *Bernardum*, sed locum ita habere: *Unde quanto benignius de illo, tanto indignius de me cogor sentire,* quem sensum si posterius adoptavit *Bernardus*, salvo id *Anselmi* jure fecisse, demum in *Cod. nostro* c. 1. a prima manu legi *ex digno* et *to con* non nisi in margine adjectum esse; dato vero etiam, Formulam *mereri ex vel de condigno* Seculo demum XIII. apud Theologos invaluisse, neminem negaturum, sensum illius in Ecclesia semper extitisse, primumque fortasse, qui illum dicta formula exprimeret, fuisse *Anselmum*, a quo tanquam duce suo posteriores Scholastici facile illam adoptarint. Itaque me quidem volente nemo illum de possessione hujus *Traëtatus* deturbabit.

V. fol. 31. Incipit alter de *venenis viciorum Traëtatus satis bonus*. Initium est: *Racio veneni potissime peccato conuenit cum prioritate originis, cum vniuersitate infectionis, cum difficultate cure et medicaminis &c.* Agitur de VII. Vitiis capitalibus ita, ut unum quodque comparetur Animali venenato, eique adponatur Remedium. Ita

<i>Superbia</i>	habet venenum <i>Basilisci</i> , et curatur	<i>Humilitate</i> .
<i>Invidia</i>	<i>Aspidis</i>	<i>Caritate</i> .
<i>Ira</i>	<i>Bufois</i>	<i>Patientia</i> .
<i>Acedia</i>	<i>Cicutae</i>	<i>Prudentia</i> .
<i>Avaritia</i>	<i>Araneae</i>	<i>Restitutione</i> .
<i>Gula</i>	<i>Serpentis</i>	<i>Abstinentia</i> .
<i>Luxuria</i>	<i>Viperae</i>	<i>Continentia</i> .

Cum *Cicutam* Noster e *Plinio* describat *vermem villosum corrodentem frondes arborum* &c. reponet *Erucam*. Ad calcem *Opusculi*: *Explicit venenum uiciorum Domini illius qui comparauit Anno Domini Millesimo Trecentesimo nonagesimo primo. Sabbato in festo sancte Martbe uirginis gloriose. Laus tibi criste quoniam finitur libellus iste. Autorem ignoro.*

VI. fol. 44. *Traçtatus*, ut in calce, de sacramentis satis utilis. Catechesin dic, cujus initium: *Misericors et miserator dominus, cuius misericordie non est numerus* &c. De *Eucharistia* v. g. quaeritur: *Quare non laicis datur istud sacramentum sub duplici specie?* et respondetur: *Tres sunt cause primo, quia possent credere quod totus christus non esset sub utraque specie, 2° propter periculum quia de facili posset effundi sanguis, 3° ut ueritas respondeat umbre, quia in lege nichil habebant non offerentes de libamine.*

VII. fol. 55. p. 2. *Incipit alter liber beati Bernhardi de interiori homine satis bonus.* Nontantum non *Bernhardi*, ne quidem hoc titulo, sed, ut rectius in calce, *Meditationes*. Extant inter subposita *Bernhardo* T. V. Edit. *Maur.* col. 319. hoc initio: *Multi multa sciunt et*
Denis Codd. *Theol. V. II. P. I.*

se ipsos nesciunt &c. Apud *Hugonem de S. Viç.* constituunt *Librum IV. de Anima*; verum nec ad hunc pertinent. Vide *Monitum* praeu. in Edit. cit. Finis utrobique idem, igitur nihil eorum, quae in quibusdam *Codd.* adtexuntur.

VIII. fol. 63. p. 2. ut e calce petendum: *Traçtatus magistri Aneurandini ordinis predicatorum qui dicitur Scala.* Extat etiam in *Bibliotheca Basileensi*, eumque memorans *Theoph. Spizelius* in *sacris Bibliothecar. Arcan.* p. 17. credit autorem dictum fuisse *Aldebrandinum* (ita enim scribendum) *de Scala*, sed perperam. Audi ipsum *Traçtatum* mox sub principium: *continet enim fides duodecim articulos quasi XII. gradus ex quibus spiritualis scala componitur iuxta illud apostoli. Hec est scala quam uidit Jacob* &c. Et iterum: *Circa scalam per quam debemus ascendere primus gradus est necessarius cuilibet christiano, est ille quem beatus petrus posuit dicens. Credo in unum Deum* &c. Ita reliqui XI. Gradus ponuntur a reliquis *Apostolis* addendo, ut quorundam fuit opinio, ueritatem unum *Symbolo* *Articulum*. Igitur *Traçtatus* inscribendus est *Scala Fidei*, five *de Articulis Fidei*; horum enim est *Expositio*. Init: *Funiculus*
Ppp tri-

triplex difficile rumpitur. Funiculus quo a terra trahimur ad celum est fides spes caritas &c. et clauditur: ad sedes sidereas transferuntur. Ad quas nos perducatur Deus Amen. Rarissimus certe est, et praeter *Spizelium* a solo *Laur. Pignon* memoratus, qui Autorem *Lombardum* vocat, et cui nec *Mazzuchellius*, neque ipsi *Bibliothecarii Ord. T. I. p. 681.* quidquam addere potuerunt. Ante *Seculum XV.* scripsisse vel *Codex* nosse loquitur.

IX. fol. 109. Incipit Quadrupartita. Quid hoc? *Apologorum Moralium Libri IV.* quos olim e *Codice Corviniensi Viennae 1630.* editos nimium facile *Cyrillo* cuidam adtribuit *Balt. Corderius* e *Graeco* versos ratur, et nos non semel et hoc, et superiore *Vol.* retulimus. *Textus* hic integer est, sed *dictio* frequenter variat. *Praefatio* orditur: *Secundum Aristotelis sententiam in probleumatibus suis. Quoniam quid in exemplis addiscendo gaudeant omnes, in disciplinis moralibus hoc tamen amplius placet &c.* Cum de *Autore* nihil dum certi habeamus, advertit me tamen *L. III. Apologus 23.* nobis *fol. 140. p. 2.* edit. *Corder.* *p. 265.* qui incipit: *Semper inundanti Danubio sic locutum est aequor.* et finit: *Quibus dictis magis Danubius redundavit.* Quid non *Rhenus, Tiberis, Rhodanus &c.* nisi quod *Danubii* ripas adcoluit *Autor?*

CCCCXVI.

Codex membraneus lat. *Sec. R. 51.* *XII. Folior. 66. f. min.* eleganter exaratus, coloribus distinctus, et *Bibliothecae a. 1721.* oblatum a *Thoma M. Alfano O. P.* de quo *Mazzuchellius Scritt. d'Italia Vol. I. P. 1.* continet sequentia: *I. Incipit. Cur Deus Homo. Liber Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi.* *Initium: Sepe et studiosissime a multis rogatus sum &c.* Absque *Librorum* aut *Capitum* indicatione nobis decurrit; *Pars* tamen altera: *Rationalem naturam a Deo factam esse &c.* unciali litera distinguitur. *Lectio* contenta cum edit. *Paris. 1721. p. 74. f. raro* ab ea dissentit. *C. 1. pro sufficere debeat Codex habet sufficere credebatur.* *Clausula* miniata: *Explicit liber cur deus homo.*

II. fol. 37. p. 2. Incipiunt sententiae quorundam philosophorum. *Sumendum* amplissime. *Initium* enim a *Cicerone: Nullae sunt occultiores insidiae, quam haec quae latent in simulatione officii.* *Sequuntur Graeci, corruptis etiam nominibus, ut Menefranes, Vias peregrinus, pro Menecrate et Biante Prieneo.* *Praecepta Pythagorica: Stateram ne transilias (Ζυγον μὴ υπερεβαιναι)* addita expositione: *id est, ne pretergrediaris iusticiam &c.* nobis inscripta sunt *Enigmata aristotelis*, fortasse, quia hic ea quondam exposuit. *Deinceps Seneca* magnam facit paginam, non tantum promiscuis sententiis, sed etiam ad capita revocatis, puta: *de continentia, prudentia, magnanimitate.*